

*ciunt.* pactum tamen de retrovendendo, licet regulariter obliquis verbis ad resolutionem contractus tendat, posse pariter directis ad resolutionem contractus facientibus verbis celebrari, non dubitamus. *Lauterb. Concl. for. exerc. 33. th. 17. & 18.*

### VIII.

Præterea, ut qualitas hæc commissoria huic voluntatis declarationi insit, requirunt porro, ut in continenti pactum hoc ipsum sit interpositum sive adjectum, quale censetur, quod simul cum contractu concluditur, sive quod immediate in ingressu vel egressu contractus, antequam partes divertunt ad alium contractum, conventum deprehenditur, quo ipso fit pars contractus illum afficiens. *L. 7. §. 5. ff. de Pact.* Nam si ex intervallo, & post contractum jamjam perfectum & absolutum, tale pactum intercedit, non operatur resolutionem contractus ipso jure, quia hoc non inest contractui, nec illum afficit, sicuti illud. *Zoel. ad ff. tit. de Lege commiss. n. 12.* Quod ipsum tamen secus se habere de jure hodierno autumamus, quo omnia pacta ex intervallo adposita obligationem efficacem & actionem producant secundum *Brunnemann. ad L. 1. ff. de Lege commiss. n. 6.* ubi ait: *Non dubito hoc pactum ex intervallo fieri posse, v. g. vendo tibi domum, soluta a te parte pretii, in secundo termino nihil solvis, do alium terminum pacto hoc adjecto, si in eo non solvis, res sit inempta, non video, cur hoc pactum non procedat nostro jure, quo ex omni pacto actio datur, per L. 7. §. 7. ff. de Pact.*

### IX.

Licet denique etiam in hoc pacto ut plurimum certa dies pro forma exigatur, intra quem pretium ab emptore sub poena commissi est solvendum, cum passim inveniatur adjectum certum tempus, ad quod refertur contractus resolutio. *L. 2. 4. 5. & passim ff. de Lege commiss.* attamen hoc ipsum ad for-